DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE FEBRE PUERPERARUM,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS PITT STEVENSON,

MARILANDICUS,

Societ. Phys. Americ. Praeses annuus;

Nec non,

Lyc. Med. Lond. Sodalis.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

HENRICO STEVENSON,

ARMIGERO,

Sibi

Natura, Animo, Consiliis,

Patri optimo;

Nec non,

ALEXANDRO STENHOUSE,

ARMIGERO,

Amico,

Ob animi candorem,

Mores commodos rectosque,

Semper colendo;

Hoc opusculum,

Summae observantiae et pietatis

Testimonium,

Lubens offert

GEORGIUS PITT STEVENSON.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERARUM.

HISTORIA.

MORBUS quidem hic saepius secundo tertiove die, alias autem sub vel inter ipsum puerperium, alias horis quatuor viginti, alias, ut credere par est, quocunque tempore per intervallum quinque aut sex hebdomadum a partu occupat. Caeterum, id quod inter omnes constat, quo citius advenit, eo periculosior est.

Nulli ſane cuidam puerperae proprium eſt; namque tam mulieribus facile, quam laborioſe enixis ingruit. Hoc autem notatu dignum eſt, quod, etſi nemo omnino cujuſcunque temperamenti habituſve ſecura eſſe poteſt, tamen plerumque graciles, molliores, atque irritabiles invadit.

Incipit fere ab horrore, interdum maximo, alias tali, qualis notari vix poteſt. Multi adeo dixerunt, ſed temere, ut mihi videtur, et poſſe, et aliquando reapſe, ſine hoc accidere. Calor quam citiſſime excipit, nec non cibi faſtidium, nauſea, vomitus, capitis dolor, iſque in fronte praeſertim, languor, infirmitas, inquies, ſitis, &c. Cutis modo arida, modo ſudor vel ex parte, vel toto corpore prorumpit. Lingua initio eſt humida atque albida; deinde ſicca, aſpera, atque obducitur veluti ſubfuſca aut ſubnigra cruſta, unde dentes quoque itidem colorantur.

Fre-

Frequenter mulier repente corripitur, quippe quae prius paulum modo torporis in extremis partibus, frigusque per dorsum descendens senserit.

Arteriarum pulsus initio maxime variat; inter horrorem est tenuis, debilis, atque indistinctus, plenior calore crescente, et plerumque tam tensus ac plenus, quam in morbis, ubi vera inflammatio adest; verum hae posteriores notae haud sane diu remanent.

Paulo post excipit sensus molestiae ac doloris, qui raro totum abdomen, sed hanc illamve partem, praecipue inferiorem, torquet. Interdum latera invadit, et ad scapulas, sicut in pleuritide, ascendit, interdum partes circa spurias costas adeo urget, ut jecur aut lien affici videatur. Ast ubicunque ortus sit, brevi latius acriusque infestat; descendit ad femina, vesicam, et rectum intestinum, quae omnia varie excruciat.

In-

Interdum ita exſuperat, ut cubans nec veſtimenta ferre, nec ſermonem explicare queat; itaque lugubriter ſubinde ejulat, atque adſtantibus nihil reſpondere valet.

Vultus fit turbatus, triſtis, atque acer; ſaepe tremoris aliquid, aut ſubſultus tendinum inſequitur, atque interdum, ſed tamen non plerumque, delirium. Interea quoque abdomen multum tumeſcit, nonnunquam aeque atque ante partum, hujuſque quidem rei ipſa ita conſcia, ut incrementum deſcribat.

Tergum et nates dolent; interdum alterum aut ambo crura ſummo cum dolore tument.

Spiritus gravitas plerumque eſt ab initio, eaque pro dolore abdominis variatur. Aſpiratio eſt crebra, ac quaſi ex metu brevis, quae quidem, creſcente morbo, talis demum evadit, ut ſub mortem pectus vix moveri videatur.

Vires

Vires de fubito adeo deficiunt, ut paucae, haud ita multo poft initia, fefe in cubili ipfae vertere queant; itaque femper fere refupinae jacent.

Tuffis, minime quidem propria, fed omnino fortuita, frequenter adeft; folet tamen plerumque per fe male habere, eademque vehemens periculum faceffit.

Naufea, vomitus, et diarrhoea interdum, eaque tam violenta, quam in ipfa cholera exiftunt, praegrediuntur; alias haud ante diem fecundum, tertium, quartumve, adveniunt.

Humor, qui prius evomitur, eft viridis, aut fubflavus, aut fubniger; fed fi vomitus diutius manet, vel fub morbi finem redit, tum fit aqueus fubnigerque. Vomitus fere dolentem ftomachum levat; eidem vero decrefcenti vehemens dejectio cum torminibus fuperveniunt.

Inci-

Incipiente diarrhoea, quae raro abeſt, alvus eſt ſubviridis, aut fuſca, ſpumoſa, et mucoſa; unaquaeque dejectio pauliſper levat; ſtercus, morbo creſcente, peſſime olet, idque interdum ſine voluntate redditur.

Contra ea autem alvus nonnunquam protinus inter initia adſtringitur, eademque diutius ſemperve manet.

Lochia variant; etſi enim a rigore haud raro ſupprimuntur, frequenter tamen eodem genere copiaque per totum morbi ſpatium prodeunt; eſt ubi omnino ſiſtunt; ſaepeque ubi continuant, nigra fiunt, ac peſſime olent.

Ægrae interdum lac haud adeo deeſt, ut infantem ſuis uberibus alere nequeat; ſaepe autem, morbo vehementius ingraveſcente, contra fit.

Urina

Urina minore copia profluit, fere rubrior, ex qua interdum aliquid, ſaepe nihil omnino, deſidit.

Petechiae, vibices, puſtulae miliares, frequenter, haud ita multo poſt initium, gravibus in regionibus apparent.

Huic quidem febri, id quod ill. Home * et Denman † omnium primi notarunt, proprius eſt tumor eryſipelatoſus ſubruber, qui ſuper condylos, carpos, cubitos, genua, talos vel ad *ſolidi* magnitudinem interdumque amplius increſcit. Hoc ſignum ſemper eſſe mortiferum Denman affirmat; temere autem; aliquot enim ita admodum affectae convaluerunt ‡.

Prae-

* Vide Clin. Ex. p. 75. † Denman, p. 24.

‡ Vide ſis, "Practical Obſervations on Puerperal Fever, by Philip Pitt Walſh, M. D. p. 4." Hujus equidem

Praeterea illud ignorari non oportet, febrem hancce ſaepe morbum, quocunque tempore per populum graſſantem, ſimulare ; unde varia ejus ſigna quam plurima.

Varie autem, pro aegrae curatione, ſua vi, &c. durat ; plerumque, niſi peſtifera, tribus, quatuor, vel quinque diebus finiri poteſt ; imo etiam aliquot quatuor viginti horis convaluiſſe viſae ſunt. Hoc utique ſtatuere licebit, quod poſt octavum diem mortis periculum multo minus eſt.

Ægrae

quidem memoriam, mihi ſacroſanctam recolens, nequeo quin nunc ipſum Latine dicam,

———" Bene placideque quieſcas,
" Terraque ſecuro ſit ſuper oſſa levis."

Mors certe, eo immature extincto, fructus ingenii acris, diligentis induſtriae, nec non complurium aliarum virtutum, in quibus magnopere eminebat, tum medicis, tum ipſis hominibus, invidioſa abſtuliſſe videatur.

Ægrae frequenter complures per horas, imo vero dies, ante mortem dolore vacant, ideoque ſibi convaleſcere ipſae videntur; attamen pulſus arteriarum fit celerrimus, adeoque imbecillus, ut vix *ſentiri* poſſit, facies rubet, et difficulter ſpiritus redditur.

Tempus, quo jugulat, in aliis aliud eſt. Aliquae ipſa rigoris acceſſione victae ſunt *; nonnullae poſt decimum, quintumdecimum, imo etiam duodevigeſimum diem occiderunt †.

Aliis, quae convaluerunt, abſceſſus in variis corporis partibus aborti ſunt; quaedam lentis febribus remittentibus laborabant; ac multae adeo debilitatae ſunt, ut ipſis, aliquamdiu poſt mala ſigna remota, nolentibus alvus redderetur.

* Manning. † Hulme, p. 18.

Nihil profecto mirum est, si medici, nostrae aetatis consultissimi, ad malum, tam frequenter exitiale, pro se quisque acriter intenderint animum, ejusque causas ex corporibus incisis eruere, aptioremque inde curationem proponere, tentarint. Convenit igitur visa ex cadaveribus saepissime oblata referre.

Ex earum abdomine, quibus tumor est magnus, copia materiei pessime olentis profluit, multumque liquoris istiusmodi inter intestina, atque in pelve natat. Intestina aliquando aëre multum distenduntur. Pene omnia in abdomine contenta plus minus vitiantur. Omentum, ut aliquot dixerunt, saepe inflammatione magna, aut suppuratione, aut gangraena afficitur, et nonnunquam fere omni sua adipe spoliatur.

Uterus plerumque est suae propriae conditionis, interdum inflammatione afficitur, magnopere ampliatur, in eo abscessus, atque etiam li-

vidae

vidae maculae paſſim videntur *. Ovaria nonnunquam ſuppurant, et quaſi emortua livent †.

Canalis tota, inteſtinalis quae audit, aliquando inflammatione afficitur, ſaepiſſime autem pars iſta, quae in abdomine medio jacet proxime ſupra pubis os, eidemque aliqua adhaerent, et gangraena videtur incoepta. Ventriculus ac jecur inflammatione quoque corripiuntur. Liquor lactis inſtar coagulati interdum inteſtinis adhaeret, atque idem in thorace cernitur. Caro abdominis muſculoſa paulo ſupra pubis os aliquando gangraena ipſa vitiatur.

PRÆDISPONENTIA.

Uterus certe, ac totum fortaſſe corpus, multimodis maximeque a graviditate mutantur. Cibi faſtidium,

* Hiſt. de l'Acad. Roy. des Sciences.

† Hulme, Pouteau.

faſtidium, nauſea, vomitus, inſolitae appetitiones et ave-ſationes, abunde teſtantur ſanitatem perturbari.

Uterus, novem per menſes, pelve emergens, paulatim adeo ampliatur, ut partem abdominis bene magnam occupet. Corpus jam multo magis irritabile fit; itaque res, alias nihili habitae, interdum vehementiſſime commovent. Inter auctores convenit, molliores, ſenſiferis motibus morbiſque locorum opportuniores, debilitatas animi vitiis corporiſve, praecipue omnium huic malo patere.

Mulieres deinde, ex quo pepererint, gravioribus periculis expoſitae ſunt. Phthiſis, verbi cauſa, fere per graviditatem levatur multum, aut toleratu facilior; atque a partu eadem ipſa vehementer adeo ac ſubito repetit, ut interdum diebus aliquot, et ſaepe intra menſem, jugulet. Febris utique, de qua agitur, nunquam niſi

poſt

poſt aut ſub puerperium occupat. Hoc igitur cum graviditate jure hic in primis omnium notari debent.

Sanguineum temperamentum, etſi haud perinde atque ejus contrarium, quodammodo tamen huc ſpectat.

Quodcunque creſcenti plenitudini favet, velut cibus copioſior, vita otioſa ac ſedentaria, et praecipue iſta curatio, qua ſanguis, inciſa vena, foeminis uterum gerentibus, mittitur; quodcunque corpus extenuat, ut cibus parcior, aut in quo parum alimenti eſt, vomitus et dejectio immodica, exercitatio vehemens, ſomnus nimium vel brevis vel longus, hujus ſunt generis, &c.; necnon quidam animi affectus, ut repens terror, aut longa aegritudo, adeoque gravidae innuptae magis periclitari dicuntur.

E lecto quoque puerperam nimis cito ſurgere, nimiſque diu erecto poſitu manere, malum eſt. Adeo cel. Sydenham praecepit, ut puerperae, quas ipſe curabat, novem per dies in lectulo detinerentur. Quod quidem ſupervacuum eſt, imo etiam aliquando nocere poteſt.

Cubantibus deinde, ut mos fuit antiquis, atque uſque adhuc ab imperitis fieri ſolet, calorem ingentem movere, veſtimentis nempe injectis, et conclavi adeo incluſo, ut perflatus nullus accedat, itaque ſudorem plures per dies continuum, eundemque majorem vino, calidis, atque aromatis liberaliſſime potui datis, &c. diffundere periculoſiſſimum eſt. Contra autem frigus inconſulte admiſſum, id eſt, ſubito nimiſque longe, quam noxium eſſe ipſa evidentia docet.

Deinde tarda alvus, cibus haud idoneus, ſaepe multum laedit, caro praeſertim nimis cito aſſumpta, quippe quae diatheſin ad inflammatio-

nem,

nem proclivem, phlogiſticam quam vocant, adauget, ſuaque ſponte in putredinem abit.

Denique, obſtetrix ignara atque imprudens hic notari debet, utpote quae multum injuriae utero, praepropere ſcilicet partum accelerando, perque vim abripiendo placentam, ſaepiſſime infert.

Poſtremo, omnis uteri vel vicinarum partium irritatio, urina aut alvus inhibita, abdomen indusiis faſciiſque conſtrictum, ſupra propoſitis annumerari poſſunt.

EXCITANTIA.

Illud quidem apud auctores eſt, quod haec febris iiſdem anni tempeſtatibus, eodemque ipſo tempore,

tempore, quo malignae, ſaevit. Putrida quoque ex corporibus hominum, qui unum in locum coarctentur, ei occaſionem praebere dicuntur; itaque in valetudinariis, iiſque praeſertim frequentiſſimis, atque in ima plebe, qui munditias itidem, ut ſuperiores nec facere volunt, nec queunt, fere verſatur. Hinc opinari licebit, eam per contagionem propriam excitari.

DE MORBI NATUTRA QUÆDAM.

De ipſa quidem morbi natura auctores inter ſe multum diſſentiunt. Complures ingenioſiſſimi tam ſuperiorum, quam noſtri ſeculi, meditatas commentationes protulerunt, et ſuam quiſque deinceps, ut fit, quomodocunque prioribus diverſam, venditarunt, quaſi unicam, ex qua indicia, cauſae, &c. intelligi, nec non rationalis medicina inſtrui poſſet.

Ab

Ab Hippocrate, noſtrae profeſſionis conditore, uſque quo D. Sydenham ipſe exortus eſt, multi hoc malum ad lochia ſuppreſſa, itaque morbidum humorem, putridum quem illi credebant, intro repulſum, retulerunt. Quod recentioribus minime probatum, quippe qui contendunt, nil omnino eſſe inter lochia, neceſſario nimirum ex vaſis omnibus, per placentae ſeparationem ab utero diſtractis, prodeuntia, quod ſanioſi malignive generis putari debeat. Lochia quidem, ſeu deficientia, ſeu abundantia, moleſtiae quid faceſſere queunt; ſed argumenta in promptu ſunt, quibus colligere licebit, morbum, de quo agitur, neque purgamentis corruptis, neque vero iiſdem ſuppreſſis, fieri. Conſtat enimvero, hujuſmodi profluvium non modo aliis eſſe aliud, verum iiſdem alias aliter, idque pariter innoxium, imo etiam ipſo primo die ſaepe impune ſiſti.

Swieten, Levret, aliique lac, vitioſe in varia corporis cava delatum, quaſi cauſam hujus morbi, notarunt. Haec autem opinio, edita ſaepiſſime ac defenſa, fortaſſe tamen eſt falſa. Lac enim frequenter abundat aliquamdiu inter morbum; deinde, aliquando eſt exiguum, aut etiam deficit, ſine ullo periculo; deinde, frequenter affatim ejus prorſus adeſt, febre occupante, quae tamen nunquam advenit mulieribus, dum infantes tandem alere uberibus deſinunt; poſtremo, idem a ſuo proprio curſu averſum, vel impeditum, moleſtiae quiddam, nil tamen periculi, ut videtur, faceſſit.

Solers ille atque elegans White, cui medici plurimum debent, certam affirmat, febrem hanc aut aëre corrupto, aut ſordibus in inteſtinis coacervatis, aut plano cubantis poſitu, unde acrior materies coacta abſorbetur, ſemper oriri; niſi ſi quando os internum violenter dilatetur,

aut

aut partus, aut placenta elidantur, aut malae quid curationis fuerit adhibitum *.

Omnia autem illa, nunc memorata, frequentius in valetudinariis, ubi complures eodem in conclavi continentur, ac munditiae parum fiunt, accidere necesse est.

Auctor idem ait, se ipsum semel vidisse omnes singulos cujusdam familiae Synocho vel Typho correptos, quippe qui aegram hujusmodi sub eodem tecto cubantem curabant †.

Multi contra asseverant, hunc morbum ex inflammatione gigni; verum ejus de sede discrepant. Hippocrates, hujusque discipuli, ut Hoffman, Burton, Smellie, Denman, &c. uterum;

Hulme

* White on the Treatment of lying-in Women, p. 132.

† Ibid.

Hulme * vero et Leake † omentum atque inteſtina praecipue omnium affici arbitrantur.

Priores ita opinantur, quia nempe dolor fere iſtud circa viſcus incipit; urina fit exigua, quaſi inflammatio protinus ab utero ad veſicae cervicem pervenerit; deinde, morbus ipſe tantummodo circa, vel poſt partum, iſque comitatus plerumque lochiis, quadamtenus copia aut genere mutatis, apparet; denique, uterus, cadavere inciſo, ſaepe vitiatus deprehenditur.

Poſteriores afferunt, ſententiam ſuam niti in ratione quidem ipſa, ex indiciis tam vivarum, quam cadaverum, ſatis accurate inſtituta.

D. Hulme gravidum uterum, prementem ſcilicet inteſtina atque omentum, omnium, quae Prae-

* Treatiſe on Puerperal Fever.

† On Child-bed Fever.

Praediſponentia nominantur, valentiſſimum eſſe judicat. Hinc, ait ille, circuitus ſanguinis, viſque vaſorum eundem vehentium minuuntur. Quo propior eſt partus, eo mala ex hoc preſſu majora fiunt. Adeo ex partu, vaſa, quae uterus maxime premebat, protinus ſanguine implentur; haec vero ipſa, jam infirma nimirum, vix humores ſuos proferre ſufficiunt *.

Idem quoque putat, quaecunque poſt partum, ſanguinis circuitum augeant, atque inter graviditatem eum ſuccoſve corrumpant, hunc morbum quam maxime omnium excitare †.

D. Leake contendit, febrem puerperarum omnino ab hyſteritide differre; quippe quia, ait ille, huic fere capitis dolor deliriumque, et ſemper acerrimus dolor calorque in vulvae regione, illi vero plerumque nihil tale quid adeſt ‡. Verum

* Ibid. † Ibid. ‡ Ibid.

rum enimvero nihil invenitur magis hoc certo certius, quod vulvae regio ſaepe inter ejuſmodi febrem dolore acerrimo cruciatur, et delirium capitiſque dolor immanis aliquando adſunt.

Idem quoque exiſtimat, inflammationem omenti atque inteſtinorum proximam eſſe cauſam, ſubitamque circumeuntis generis mutationem, a partu factam, neceſſario inclinare ad abdominis inflammationem, itaque omentum atque inteſtina, utpote laxiore natura, ſaepiſſime omnium affici *.

Praeterea, inquit ille, parturae dolores, et gravis tempeſtatum habitus, nec non corpus ipſum jam mobilius, aliaque praediſponentia ſupra propoſita, ſuo quidque modo, febrem excitare tendunt †.

Sic

* Ibid.

† Ibid.

Sic ipſe hunc morbum vere ex inflammatione oriri putat, quanquam ſigna putredinis acceſſerint. Quae quidem, ut ei placet, materiae corruptae ex omento ſuppuranti illatae debentur, ideoque velut ſequentia duntaxat ex affectu primario habenda ſunt.

Jam vero ex hac opinione aliquis confeſtim credere voluerit, omentum ſemper in cadaveribus aut ſuppuratione, aut gangraena affectum videri. Verumtamen curioſior inquiſitio atque inveſtigatio ab ill. Home, aliiſque facta, prohibet vetatque.

Caeterum, White auctore *, affirmare liceat, inteſtina atque omentum ſaepiſſime in pernicioſis febribus, putridis aut malignis, inflammatione et gangraena corripi; cum eo tamen, ut hae partes neutiquam primaria ſedes morbi exiſtimari

* Ibid.

iſtimari debeant, ideoque talia in cadaveribus reperta velut ex aliquo ſequentia duntaxat, minimeque propria morbi haberi oporteat.

D. Hulme ait *, omentum, partu jam inſtante, aut planum eſſe, ut natura ſolet, aut corrugatum, aut fortaſſe haud raro ſurſum ferri a gravido utero complicatum, atque adeo periculum fieri majus circuitus intercluſi. Hinc White interrogatione inſtat, annon, ſi tale quid fiat, morbus ante partum potius foret, eodemque ipſo facto finiretur? Quod certe futurum eſſe ipſe nullus dubitat, ſi puerperarum febris atque intercluſio inteſtinorum et omenti, quae in hernia fit, cauſis vere ſimilibus oriantur; utpote cum peſſima ſigna poſterioris illico tolluntur, niſi ſi inflammatio longius proceſſerit, ſimul ac primum preſſus intercluſionem iſtam efficiens ſeu arte, ſeu natura, tollitur †. Porro autem

ex

* Ibid. † Ibid.

ex D. Hulme ſententia nulla cauſa probabilis afferri poteſt, cur hic morbus frequentior fiat atque exitioſior in oppidis et valetudinariis, quam rure atque in privatorum domiciliis.

Illud inter auctores ſatis convenit, inflammationem febri puerperarum adeſſe; de hujus autem peculiari ſpecie non item; alii enim phlegmonodeam, alii eryſipelatoſam appellant.

Fauces quidem ac totum canalem, alimentarium quem vocant, inter hunc morbum aphthis atque eryſipelate affici, haud dubiis conſtat argumentis. Sic lingua male ſe habet; dolor urens tendit per os, guttur, atque omnia inteſtina, qui celerius ſaepe diarrhoeam affert, atque haud raro poſt alia admodum levata perdurat.

Verum enimvero ſi cum medico, noſologia celeberrimo, qui, jure quam optimo, medicae opis, rationalis maxime, inventor auctorque

nunc praesens habeatur, quique, clarus postgenitis, sicut Hippocrates, Harvey, et Boerhaave, suum et ipse seculum nobilitabit, proponamus, erysipelas fieri posse tantummodo in superficie cuticula obducta ejusdemve continuatione, quae neutiquam ad viscerum in abdomine peritonaeum pervenire queat; aut si cum quolibet, istarum rerum haud incurioso, animadvertamus, nunquam ullum scilicet pus subesse, neque vitiosam lympham coagulandam exsudari, neque adeo vicinas partes agglutinari, quotiescunque inflammatio erysipelatis mere exstiterit; tum denique ad putandum facile inducemur, inflammationem, quae huic morbo adsit, haud esse eam, erysipelas quod specialiter vocatur. Verumtamen nihilo minus patet, puram ac simplicem haud esse peritonitida, quippe quod signa putredinis nunquam non apparent, morbus ipse contagia agit, diarrhoea subsequitur, &c.

Re

Re quidem vera inflammationem hancce ſuo certo ac proprio vocabulo nominare in promptu non eſt. Caeterum obſervatio docet, eam citius communi ſuum curſum peragere; comitemque morbi, qui ex debilitate oriatur, ipſam naſci potius congeſtione atque auctiore affectae partis, nec non totius corporis, irritabilitate, quam adaucta duntaxat vi ac tenſione vaſorum, quae corripiantur, aut cordis aut arteriarum.

Inter omnes fere convenit, febrem hanc, ubicunque genitam, eſſe unius pene et ejuſdem naturae, variantem nempe gradu ſignorum tantummodo, aliiſque tam parvis, quae diverſam ſpeciem formare nequeunt. In hoc quidem praecipue variare videtur, quod aliquando, praeſertim in privatis domiciliis, iſtam, quae ab inflammatione naſcatur, ab initio magis refert; aliquando, amplis ſcilicet in valetudinariis, imbecillitas et ſigna pejora celerius clariuſque cernuntur.

Caeterum,

Caeterum, ex ſupradictis, ut videtur, colligi poteſt, morbum hunc non eſſe ſui generis, puerperis proprium et peculiare, ſed inſolitam duntaxat ſpeciem frequentiſſimi morbi, id eſt, nihil praeter communem febrem, quae contagia agat, eamque inflammatione peritonaeum late magis aut minus occupante comitatam. Quod quidem, paucis breviter et in tranſcurſu memoratis, probabile admodum eſſe videatur.

Idem contactus ſemper ſimilem parit morbum.

Morbus certe ſua contagia agit; oriturque eadem inter tempora et loca, quae omnium maxime communem contagionem importent.

Nutrices, quae parturientibus aſſidere ſolent, frequenter communi Synocho vel Typho corripiuntur.

Ambo

Ambo denique morbi ſemper fere eodem anno quaſi per populum graſſantur, iiſdemque remediis plerumque levantur.

Nunc vero illud probare, quod inflammatio, eaque late occupans, morbis ex debilitate ortis adeſſe poteſt, ſupervacuum eſt, quippe quia id ipſum a D. Pringle, White, aliiſque, communem ad febrem quod attinet, demonſtratum fuerit.

Poſtremo, huc accedere poteſt, quod Peritonitis frequenter vel in viris typho ſupervenit.

D I A G N O S I S.

Puerperarum febrem aliis fere omnibus morbis dignoſcere expeditiſſimum eſt.

A doloribus, posteriores quos vocant, eo differt, quod inter illos, ex intervallo fere redeuntes, febricula plerumque est levis; in hac autem dolor est certus, febrisque satis molesta.

In febre, lactea quae dicitur, semperque levissima est, mammae atque axillares glandulae fere intumescunt; altera vero est vehementissima, et mammae vix afficiuntur.

Dolor et molestia abdominis, cutis punctiunculis vacua, animi trepidatio major, eam a febre miliari apertius distinguunt; praeterea pustulae vix unquam oriuntur; et si aliquando ortae sint, nihil tamen hic, fere autem in altera, juvant.

Intuentibus febrem, molestiam, atque abdominis dolorem, eumque non huc illucve transeuntem, a colica discerni potest. In hac quidem dolor saepius febrem sequitur, quam praecedit; istum magis refert, qui circa umbilicum torqueat;

queat; non tam late occupat, nec pariter urget; ſerius tumentia ac tenſione abdominis comitatur; in colica denique, haud videtur triſtis ille vultus animuſque meticuloſus, quae ſemper fere alteri adſunt.

Haud multum ſane periculi eſt, ne non ab inflammatione cujuſlibet viſceris, ſede nimirum doloris arctiore, evidenti imminutione actionis propriae parti, natura praeſentis febris, origine hujus, incremento, &c. rite animadverſis, dijudicari et diſtingui queatur.

P R O G N O S I S.

Nullus quidem morbus animadverſionem diligentiamque magis deſiderat. Quamvis enim per ſe interdum finiatur; attamen, niſi inter initia adhibeatur curatio propria, brevi ſaepe

tollit.

tollit. Si protinus a partu occupat, atque aliquot per dies, imo etiam horas, vehementer intenditur, ſpes nimis ſaepe fruſtratur.

Pulſus arteriarum citatus nunquam non malus eſt ; idemque eo pejor, quo languidior tenuiorque. Si autem contra fit, ſecuritatem pollicetur.

Dolor abdominis ingens ſimul cum gravi difficilique ſpiritu periculum oſtendunt.

Ubi dolor ſubito deſinit, pulſus arteriarum fit languidus tenuiſque, facies pallida, ſudores frigidi, et ſtupor deliriumve excipiunt, mors denunciatur.

Alvus inter morbum adſtrictior mala eſt.

Alvus fuſior protinus ab initio ſemper levat ; utique ſi cutis humeſcit, atque abdomen ſubſidit,

dit ; quorum vero poſterius ſine purgationibus, et cum arida cute, periculoſiſſimum eſt.

Lochia ſubinde prodeuntia ſemper inter bona, imo etiam optima, indicia ſunt.

Lingua ſubalbida, mollis, et humida metum detrahit ; ſi autem contra ſit, non item.

Vomitus fortuitus aliquando morbum conſiſtere teſtatur ; ubi autem is eſt nigri coloris, in malis aegra eſt.

Sudor inaequalis periculum ſubeſſe indicat ; ſi vero toto de corpore fluit, nec non urina ſit parum liquida, atque arteriae concidunt, ſpes ſupereſt. Sudor iſte, qui interdum plurimus horrorem excipit, aliquando ſummi incrementi index eſt.

Petechiae, praeſertim eryſipelatis tumores, ſupra memorati, mali ſunt.

Denique, vigilia, praecipue ubi acerbi et continui dolores capitis ſimul adſunt, nunquam non formidoloſa eſt.

RATIO MEDENDI.

Nonnulli fortaſſe putarint, haud ab re fore, pauca de morbo *arcendo*, prophylaxis quae audit, praefari. Cum vero de cauſis remotis, ſine quarum aeſtimatione morbis occurri nequeat, fuſius jam dictum ſit, nihil inſuper de illa ſeorſum differere opus eſſe videatur.

His igitur praepoſitis, ad curationem protinus tranſibo. Quae quidem duplex eſt; namque

aut

aut febris dolorque expugnanda ſunt, aut indiciis quibuſdam obviam eundum eſt.

Quod ad prius conſilium attinet, ſanguinis miſſio ultro ſe offert. De hac vero inter auctores ambigitur; alii enim eam et probant et laudant; alii contra non modo ut ſupervacuam, ſed etiam periculoſiſſimam reprehendunt culpantque. Si quidem ex arteriarum pulſu ab initio judicandum foret, tum ea plerumque praeciperetur; ſed ſi animadvertatur, tempore quam brevi ille tenſus plenuſque exiſtit, quae ingens debilitas, ſignaque putredinis manifeſta illico ſubſequuntur; quantopere vis vitae imminuitur, atque adeo localis congeſtio eaque ipſa cauſa augentur, unde plurimum periculi circa finem morbi timeri poſſit; tum ſane ſtatuendum erit, ſcalpellum eſſe noxium, anceps certe; et, ſi modo unquam, inter initia duntaxat adhibendum eſſe, idque in validioribus, ubi febris

bris videatur esse ejus generis, sporadicum quod nominatur, atque omnino nunquam in valetudinariis, ubi malignitas ejus quam maxima signis haud dubiis notetur.

Medici profecto nostri seculi hac in re a superioribus adeo multum deflexerunt, ut affirmare liceat, sanguinem hodie semel omnino, pro eo quod vicies olim solebat, mitti. Cujus mutationis hodierna utique curatio vulgaris febris, quae contagia agat, (cui quidem non est facies eadem ac puerperarum febri, nec diversa tamen), insigni est documento. In ea enimvero antiqui semper fere, nec non recentiores quos appellare jus est, per sanguinis detractionem pugnabant; praesentes contra repudiant hanc rejiciuntque, quippe qui experti norint, summa nempe debilitate, inflammationis signa citius excipiente, periculum sanguine misso admodum augeri; atque adeo illos, qui metu inflammatio-

nis

nis moti ita curarint, ſaepius cauſam poenitendi, quam recordandi, habere.

Caeterum, his ſervatis, aliquando haud alienum erit, cucurbitulas accommodare, hirudineſve parti abdominis maxime dolenti imponere.

In confeſſo eſt, vomitoria tum ab initio, tum inter complurium morborum incrementum, data commode ſatis reſpondere; ſed nuſquam plus, quam in puerperarum febre, profecerunt. Hoc autem ſalubre ac frugiferum repertum fortaſſe D. Denman auctori acceptum referri debet. Utcunque erit, medici tamen, qui deductos in valetudinarium, *L'Hotel Dieu* dictum, Lutetiae Pariſiorum, nutriunt, atque in primis Doulcet, ei potiſſimum inſtiterunt, quippe qui, miſſione ſanguinis neglecta, aegras hoc morbo vomitu, non ſolum inter principiá, ſed etiam plures per dies, curioſius facto, feliciſſime expediunt.

Ex efficaci igitur curatione, ab iis aliisque hujus insulae adhibita, vomitum moveri oportet; neutiquam tamen, secundum Doulcet, quo tempore cunque; etenim, cum abdominis dolor admodum urgeat, atque debilitas adsit magna, minime convenit, siquidem omnis vehemens agitatio, in ejusmodi casu, tum inutilis, tum etiam periculosa, evadere potuerit.

Febrem hanc aliquando a vomitu incipere, supra positum est. Sub quo casu, invitare eundem, tepida nempe aqua, aut chamomaelo decocto, aut quodam ex stibio, ita ingesto, ut stomachus exoneretur, et sanguis ad corporis superficiem avertatur, nunquam non expediet.

Inter eos vero, qui vomitum praecipiunt, de potiore medicamento paululum quid dissensionis est. Alii enim, ut medici in Gallia, ipecacuanham, alii ut D. Denman, &c. tartarum emeticum, collaudant. Omnibus quidem notum est, utrumvis

utrumvis horum ſatis commode vomitum movere; poſterius vero, quippe quia inſuper fere alvum purgatione ſollicitet, id quod huic morbo non parum auxiliatur, alteri praeferendum eſſe videatur.

Caeterum, de medicamentis hujuſmodi, quorum facultates nemo neſcit, in praeſentia certe pluribus diſſerere ſupervacuum eſt. Satis erit dicere, talia, utpote quae, id quod, hoc morbo ſubſtante, votum eſt, ſanguinem ad corporis ſuperficiem avertant, aequabilem illius circumactionem praeſtent, atque adeo ſolvant conſtrictionem febre effectam, impetumque interiores ad partes vitioſum arceant, quantivis eſſe pretii.

Magnum deinde in hoc morbo praeſidium ex iis, quae purgant alvum, petitum fuit. Haec quidem ab ipſo alvi profluvio, quod ſaepe adeſt, imperari videntur, atque inter omnes conſtat,

eadem

eadem multum prodeſſe: Si diarrhoea initio adeſt perquam levis, tum alvus ſine ulla noxa poteſt leniter moveri, ſi vehemens, non item. De hac autem re prudens medicus judicarit.

Caeterum, quandocunque tale quid adhibeatur, leniſſimis omnino, ut oleo ricini, ſale cathartico amaro, infuſo tamarindorum cum ſenna, cremore tartari, aliiſque id genus, utendum eſt.

Alvum ducere, utpote ſubſidium catharticis utile, expedit. Id quod infunditur, quam leniſſimum eſſe oportet, qualis eſt calida aqua, vel mera, vel lacte, atque oleo mixta. Talis autem curatio in cunctis febribus, et praecipue in hac, multum proficit, ſiquidem non modo alvum ſuppreſſam adeoque ſummam irritationem arcet, ſed etiam, vice interni fomenti fungens, ad inflammationem doloremque tollendum pertinet.

Hac

Hac eadem de caufa illitae cantharides optimo jure, quod eft, ex quotidiana experientia, laudantur. Verumtamen nonnulli iftas in puerperarum febre, propterea quia veficam faepiffime male habent, imponendas negaverint. Id autem mali pulvere camphorae fuper emplaftrum infperfo minui dicitur. Caeterum aegra, dummodo medicamentum hujufmodi imponatur, liquores diluentes liberaliter haurire debet. Sinapifmi denique, linimenta volatilia, panni vino adufto (Anglice *Brandy*) intincti, quafi ad abdominis dolorem auferendum pertinentia memorantur.

Quicunque cantharides, finapifmos, emplaftra, &c. abdomini imponenda negaverint, praefidium ex fomentis petere debent. Si abdomen poft vomitum ac dejectionem inter principia factam, quae faepe quidem valent dolorem ac ventris tumorem difcutere, nihilominus vehementer laboret, protinus confugiendum eft ad magnos

duplices pannos, quos laneos esse commodius est. Hos autem, ex calida expressos, per horam certe, atque aliquoties ex unius scilicet alteriusve horae intervallo, ventri imponi expedit, summa utique cura habita, ne mulier interea quo frigore afflatuve laedatur. Quantum vero fomenta inter febres, extremis inferioribus admota, dolorem saepe molestiamque minuant, exhalationem per cutem, nec non somnum pariant, ex monumentis medicorum Regii Nosocomii Edinensis apparet aperte.

Calida lavatio ab aliquot, sed fortasse non ita recte, praecepta fuit.

Latices certe diluentes ad sitim nempe avertendam satis conveniunt; cujusmodi sunt aqua hordei decocti, sorbitio, nec non et cerevisia tenuis, utique si conditio primarum viarum haud vetet.

Si

Si ſomnus uſque adhuc dolore vel cujuſdam partis, vel totius corporis, depulſus fuerit, intercapedo moleſtiae viribus opii arceſſatur oportet; id quod, D. Denman auctore, ſatis tuto, quotieſcunque dolor vehemens urget, fieri poteſt *.

Emollientia in uterum injici nonnullis placet; quorum auxilium White praeſertim quam magni exiſtimat †.

In ſecundo autem hujus morbi gradu, quando ſcilicet debilitas ſit ſumma, humoreſque in putredinem abire videntur, aegra iis, quae, apud Medicos *Tonica* appellata, cohibeant putredinem, vireſque reficiant, ſuſtinenda eſt.

De corticis Peruviani facultate, qua tenſionem reſtituere, putredinemque cohibere valet, utpote

* P. 34. † P. 223.

utpote omnibus nota, dicere in praeſentia nihil opus eſt. Dari quidem poteſt vel ſub pulveris vel tincturae forma, ratione nimirum ſtomachi nunquam non habita. Caeterum illud quoque non ignorari oportet, eum non magnopere, niſi liberaliter aſſumptum, juvare.

Jam ſatis conſtat, vinum in febribus bene reſpondere, imo etiam illud, prudenter utique datum, omnium quam maxime ſtimulare roburque inſtaurare poſſe. Palato et ſtomacho gratum eſt; cordis actionem atque arteriarum auget; nec non dolorem ac delirium tollit. Verumtamen caute perquam et cogitate debet adhiberi; alioquin periculi haud parvulum timeatur. Hic enimvero, ut in omnibus, prius de tempore modoque utendi videndum eſt; namque ut bona fortunae perinde ſunt, atque illius animus, qui ea poſſidet: Qui uti ſcit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala; ſic medicamenta quam optima inconſulte ac temere aegris inculcata,

inculcata, tanquam benefacta male locata, pravoque usu corrupta, venenata perquam et pestifera evadunt.

Aër fixus morbis bene multis auxiliari dicitur; eum vero febri praesertim, Typhus qui nominatur, ac Dysenteriae esse praesidio Dobson, Priestley, Rowley, &c. affirmant, contenduntque. Per clysmata immitti potest; melius autem salinis haustibus, quolibet morbi tempore, adeo sumptis, ut ipso in stomacho effervescat.

Cum debilitas in hujusmodi malo sit magna, cibus valentis materiae haud alienus est; caro autem, quamvis in ea multum sit alimenti, neutiquam convenit, quippe quae ad putredinem tendat, et difficilius concoquatur. Cibi omnes ex farre parati magis idonei sunt, et ptisana, nec non Sago, Salep, gratiora nempe vino adjecto, gelatina omnigena, cuncti acescentes fructus, poma in primis, mala cotonea, aurea, uvae,

&c.

&c. quae ſitim ſedent, ac putredinem arceant emendentque.

Camphora denique, moſchus, contrayerva, colomba, atque acida, ſeu vegetabilia, ſeu foſſilia, huc pertinere dicuntur.

Hic, ut ſemper, munditiae quam maximae imperandae ſunt. Stragula, veſtimenta frequenter mutari, manus faciemque cubantis quotidie ſaltem lavari oportet.

Denique, de remedio, omnium longe praeſentiſſimo, aëre nempe puro, ſine quo univerſa profecto materia medica parum juvat, dicere libitum fuerit. Sed multo libentius optimum Medicinae Theoreticae Magiſtrum, de hac ipſa re diſſerentem, audiri voluerim. "Aër quoque ipſe, qui purus ſacram vitae flammam alit, impurus factus eandem vel ſtatim extinguere poteſt, vel multis vaporibus onuſtus, aut nocivis

qui-

quibusdam effluviis corruptus, ingentem morborum cohortem inducere *." "Supereſt et una alia res, quae et cibo et potu, cum ſanis, tum maxime aegris, ſive acutis ſive vetuſtis morbis laborantibus, magis neceſſaria eſt, et ſaepe omnibus medicamentis, et medicina ipſa praeſtantior; aër nimirum purus et bonus, quo nihil ad vitam retinendam, et ſanitatem conſervandam, magis neceſſarium eſt, nec quicquam ad multos morbos ſanandos utilius; ſcilicet ſine quo medicamenta, alioquin optima et efficaciſſima, parum omnino valent, et morbi, natura leves et facile ſanabiles, maligni prorſus et ſaepe inſanabiles fiunt.—Aër enim purus venenatam illam mephitim, quam ſaniſſimi etiam homines, et multo magis aegri, a pulmone et cute uſque exhalant, aufert, et per auras diffundit, donec tandem, depoſita vi ſua peſtifera, et ipſis et aliis innoxia fiat. Purus praeterea aër corpus reficit atque refri-

* D. Greg. Conſp. Med. Theor. Vol. i. p. 31.

refrigerat, vires fortaſſe multum labefactas confirmat, cibi appetitum et concoctionem juvat, et putredini fortiter occurrit, praeſertim frigidulus. In acutis morbis apprime neceſſarius fit, propter rationes ſatis manifeſtas; praeſertim in febribus a contagio ortis. In omnibus iſtiuſmodi morbis, aër purus, et quam ſaepiſſime renovatus, ſalutaris et neceſſarius eſt. In multis aliquantum frigidior quam ſanis aut gratus aut tutus eſſet, et ſaluberrimus, et ipſis aegris jucundiſſimus exiſtit. Non omnes vero morbi acuti adeo frigidum aëra tolerant; praeſertim qui a frigore collecto oriuntur, vel in quibus pulmones multum afficiuntur, cujuſcunque fuerint originis. In omnibus vero morbis aër calidus, et impurus, et morboſis effluviis corruptus, et ſtagnans, neque ut decet mutatus, haud parum nocet *."

[Nunc

* Ibid. p. 65.

Nunc vero de illis, quae indiciis aliquot, iisdemque pejoribus occurrant, pauca differere convenit.

Etsi vomitus plerumque medicamentis supra positis cohibetur, aliquando tamen vehementior diuturniorque manet. Sub quo casu iis, quae semper fere responderint, id est, Riverii haustibus, atque iisdem effervescentibus, frequenter sumptis, Laudano per clysteras immisso, siquidem stomachus jam idem respueret, &c. pugnandum est.

Alvi quoque dejectio interdum quid molestiae facessit. In ejusmodi casu opio, vel devorato, vel in alvum ex parte inferiore indito, amylo aëreve fixo itidem infuso, aut adstringentibus, ut puta, Terra Japonica, Gummi Kino, decocto Campechensi, &c. utendum est.

Ad tuffim, quae frequenter male habet, medicamina oleofa vel mucofa potius, portione tincturae Thebaicae utrifque adjecta, benefaciunt.

Doloribus denique, latera nonnunquam vexantibus, cantharides illitae, linimentum volatile, hirudines, vel cucurbitulae auxiliantur.

Verum haec ego, Academiae fcilicet inftitutis morigerans, de Febre Puerperarum dixi; quae equidem, non certa quafi et fixa, propono, fed cuique, fuo pro judicio atque experientia, exiftimanda relinquo.

Nunc enimvero animi parum grati notam merito fubirem, nifi lubens, hocce tentamine qualicunque demum perorato, gratias Profefforibus Medicinae confultiffimis, qui Almam hanc Academiam ornant, publice agerem haberemque.

Seorfum

Seorſum vero habenda eſt gratia viris eximiis, D. Cullen, Monro, et Gregory, non modo ob operam, quam mihi inter ſtudii medici curriculum navarunt, ſed etiam ob ſingularem benevolentiam, qua me, graviter aegrotantem, feliciter curabant. Quibus quanquam gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur ; habenda tamen tanta eſt, quantam maximam animus meus capere poteſt.

F I N I S.